

Ad 2 part. (si non creat). Creatio organorum ab ipsa auctoritate publica procedens : a) multo majoribus sumptibus publicis et multiplicatis administratoribus fieri debet, ac proinde minus bene (nam singuli administratores remunerandi sunt, et tamen minore zelo bonum publicum agunt quam rem propriam; et responsabilitates inter multos divisae quasi evanescent); e.

Ad 3 part. (sed si stimulat). Communiter eo accuratior est alicujus rei procuratio, quo magis spontanea et independens ac propria privata utilitate agentium excitata fuerit; e.

Coroll. 1^m Ergo si quod organum necessarium deficit, et impossibile est ut ad illud creandum excitentur cives, v. c. propter contemptum apud alios timendum; tunc jus et officium est auctoritatis publicae, eas functiones per seipsam exercere, propter necessitatem boni communis.

Coroll. 2^m Ergo si quod organum non necessarium sed utile deficit, eodem modo debent cives ad illud creandum stimulari.

Coroll. 3^m Ergo si propter necessitatem auctoritas functiones alicujus organi necessarii deficientis exercet, debet procurare ut paulatim ea necessitas cesset, ac creentur organa quae his muneribus fungantur, ac proinde auctoritas publica ab iis paulatim absteineat, vitando tamen ne jus et conveniens eorum commodum laedatur, qui in iis functionibus exercendis administratores publicae auctoritatis fuerunt.

Coroll. 4^m Ergo auctoritas summa publica habet multa et gravia officia, unicum autem jus, nempe jus ad media quibus perfecte suo munere fungatur. Auctoritas enim non est finis cui, sed medium tantum ad finem sociale.

ARTICULUS 2.

De jure restringendi libertatem sociorum.

Ex praecedentibus circa munus auctoritatis dictis, sequitur auctoritati competere jus restringendi singulorum sociorum libertatem; quoties nempe aliquod organum exercitio suo impediret existentiam vel exercitium necessarium aliorum organorum socialium, efficax directio in bonum commune exigit ut restringi possit exercitium illud particulare novicum, etiam si forte hoc esset per se juris naturalis. — Hujus juris restringentis limites determinantur tum legibus fundamentalibus, tum ex natura ipsa libertatis illius quae sit coarctanda, tum ex necessitate organi cui haec libertas noceret.

Porro libertates illae, multiplices quum sint, nullam difficultatem nobis enodandam relinquunt, praeter paucas aliquas, de quibus multum passim hodie disputatur. De illis singulis nunc erit ordine suo dicendum; quibus aliqua subnectere oportebit de moderno liberalismo. Sint proinde :

§ 1. De libertate laboris.

§ 2. De libertate testamentorum.

§ 3. De libertate conscientiae et cultuum.

§ 4. De libertate preli.

§ 5. De libertate scholarum.

§ 6. De libertate associationum.

§ 7. De liberalismo moderno.

§ 1. DE LIBERTATE LABORIS.

Propositio 170.

Rectae constitutioni societatis repugnat absoluta libertas laboris, sed hic est efficaciter ordinandus.

Notiones. 1) *Libertas laboris* intelligi potest tanquam opposita *obligationi vel prohibitioni laborandi*, quae alicui imponeretur; sed hoc sensu non hic sumitur; haec enim esset *libertas a servitute*.

2) Aliter intelligitur hic *libertas laboris* prout opponitur *ordinationi laboris* quoad modum; et est facultas singulis civibus concessa, privato contractu, sive scripto sive orali, de labore et de laboris mercede libere disponendi, itemque merces vendendi atque emendi.

3) *Ordatio laboris* intelligitur hic : a) quoad mensuram quotidianam laboris, — b) quoad quietem a labore certis diebus concedendam, — c) quoad mercedem retribuendam aequa mensura, — d) quoad laborem feminarum et adolescentium intra certos limites coarctandum, — e) quoad mercium pretium intra aequitatis fines continendum, ne effrenae concurrentiae licentia relinquatur, — f) quoad mercium qualitatem fraude non simulandam.

Stat. quaest. 1) Talem laboris ordinationem ex ipso jure naturali privato requiri jam superius diximus (cfr. prop. 135, 136, 137). — Eadem nunc etiam ad societatis civilis supremam munus imprimis spectari addimus. — Illam ordinationem, praetextu libertatis omnium et aequalitatis, ante unum saeculum destruxerunt; neque adhuc intelligunt liberalismi sectatores, justam et necessariam esse.

2) *Absolutam libertatem* dicimus, i. e. eam quae, sicut hodie passim, nullo omnino vinculo ordinatur.

Prob. Rectae societatis constitutioni repugnat quidquid finem societatis, et praecipuum auctoritatis munus essenziale impedit; a. libertas absoluta laboris ea impedit; e.

Prob. min. Procurationi communi mediorum honestorum, tuitioni pacificae jurium omnium, efficaci tendentiae communi ad prosperitatem communem, repugnat quidquid in absurdis fundamentis nititur, et ad perturbationes, socialismum, ac communismum ducit; — a. de laboris libertate absoluta ista valent; e.

ad min. Haec libertas nititur in absurdo conceptu aequalitatis omnimodae inter omnes homines, in moderno modo concipiendi relationes inter patronos et operarios; ac proinde logice et practice ducet necessario ad odia, ad

socialistarum et communistarum desiderata (cfr. prop. 95, 96, 97; 135, 136, 137).

Schol. *Quomodo labor ordinandus?* — R. 1) Non ab auctoritate politica ipsa, non enim hoc ejus munus est (cfr. prop. 68); neque ipsi per centralisationem possibile est variis concretis necessitatibus efficaciter subvenire, — 2) sed per corporationes particulares et varias, quae localibus particularibus necessitatibus suis melius per seipsas providere possunt; et sunt organa ad integram societatis structuram pertinentia (cfr. prop. 146, 147).

Coroll. 1^m Ergo non semper et ubique uniformis illa ordinatio laboris esse debet, neque nostris temporibus illae tales corporationes inducendae essent, quales superioribus saeculis; sed pro data adjunctorum varietate, rerum statui aptandae; quod sponte fiet, nisi extrinsece impediatur, legitimisque progressibus favebit.

Coroll. 2^m Ergo auctoritatis civilis *solum jus est*, ut impediatur effrenam illam laboris libertatem; *officium est* ut corporationibus efficacem stimulum, protectionem, sanctionem adhibeat, internam libertatem organisationis relinquat.

§ 2. DE LIBERTATE TESTAMENTORUM.

Propositio 171.

Officio tenetur auctoritas suprema, libertatem testamentorum tueri, non restringere praeter necessitatem, nec impedire.

Notiones. 1) *Libertas testamentorum*, i. e. jus patrumfamiliarum ut testamentis suis libere de bonis suis disponant, sive ea inter liberos aequaliter sive inaequaliter dividendo, sive etiam alienando, liberorum unum vel plures excludendo, etc.

2) Hanc libertatem *restringi* concipimus, si quoad ipsas dispositiones bonorum limites determinentur; *impediri* autem, si tota dispositio praescribatur; — non vero restringi vel impediri proprie dicitur libertas, si ipsa dispositio et distributio bonorum quidem fieri potest ad nutum patrisfamilias, certae tamen aliquae formalitates externae praecipiantur, quibus authentice de voluntate testatoris constare possit, ut ei publica auctoritas suam sanctionem addat: tale enim praeceptum libertatem non infringere sed potius authentice confirmare et tueri aestimabitur.

Stat. quaest. 1) Jus testamento de suis rebus disponendi esse ex ipsa lege naturali concessum ac validum, saltem in ordine privatae familiae, jam fuit dictum propositione 108. Huic in praesenti addimus etiam in societate civili nullum esse jus aliud, commune, fortius, in conflictu cum illo, sed ex ipsa societatis civilis natura requiri ut huic juri plenum exercitium relinquatur.

2) Istam libertatem gallicae perturbationis auctores abolitam voluerunt, eo

praetextu quod bona patris essent filiis omnibus aequaliter debita, quum filii sint homines, omnes autem homines aequales, aequalibusque juribus ornati, praesertim respectu communis sui patris. Quam doctrinam etiam nunc liberalismi sectatores tuentur, esseque ad bonum commune necessarium opinantur.

3) Nos non quidem negamus exceptiones esse possibles et legitimas, v. c. si ad bonum publicum requireretur ut alicujus familiae bona integra maneant ac tota primogenito tradantur, ut is princeps, vel primatus, vel imperii elector, etc, ordinem suum servare, et muneribus suis fungi ac onera portare possit; — nec negamus restringendum esse jus patris, ita ut testamento nihil contra jura aliorum statuere possit; — nec negamus divisionem aequalem inter omnes defuncti liberos esse justam, si v. c. ipse pater illam voluit, vel intestatus mortuus est; — sed negamus justum, vel necessarium, vel bono publico utile esse, ut patris libertas restringatur, imponendo universaliter distributionem aequalem inter omnes liberos, qualis nunc in Galliis et adjacentibus regionibus nostris existit.

Prob. Restrictio libertatis testamenti oritur ex falsis praesudiciis, et natura sua ducit ad perniciosos effectus; *e.*

Prob. ant. 1 part. (falsis praesudiciis). Rationes quae afferuntur sunt: 1) quia filii omnes aequales sunt jure, — 2) quia pater aequali officio erga omnes filios tenetur, — 3) quia si pater sibi prorsus relinquatur, officio deerit; melius autem auctoritas summa aequali justitia erga omnes providebit; — *a.* haec falsa sunt; *e.*

ad 1 part. min. Aequales sunt filii secundum naturam humanam specificam, et secundum nativitatem ex eodem patre; sed concrete secundum reliqua minime sunt aequales: meritis et bona indole, intelligentia et viribus physicis, acquisitis educatione aptitudinibus ad varia munia obeunda.

ad 2 part. min. Pater officio tenetur liberis procurare vitae necessaria, decentem educationem; — sed a) ad aequalem benevolentiam erga bonos et malos ac rebelles filios non tenetur; — b) neque ad aequalem bonorum materialium distributionem inter eos qui patre vivente jam plurima et majora acceperunt quoad sumptuosiore educationem, status amplioris donationem, et eos qui inferiora acceperunt vel semper domi sub patre vixerunt; — c) neque inter eos qui aptitudine practica pollent qua domum et familiam sustentent atque amplificent, aliisque sibi commissis provideant, et eos qui defectu capacitatum vel sanitatis ac virium, sibi sufficere nequeunt, sua bona administrare non possent, meliusque habebunt si aliis curandi commendantur.

ad 3 part. min. Pater sibi relictus naturali cognitione adjunctorum concretorum, personarum et locorum, et naturali amore familiae suae ac prosperitatis ducetur, atque illud quod sapientius et in concreto melius est ord nabit; — si quando inhumane aliquis aget, haec certe rara exceptio erit, et a) poterit iudicio magistratum, vel totius familiae suffragio, corrigi, b) non

propter raras exceptiones debet legibus turbari ordinarius et justus ordo; — nec generatim potest auctoritas summa, bonum particulare familiarum, et singulorum civium, concrete cognoscere et ordinare, sicut singuli patres-familias.

Prob. ant. 2 part. (ducit ad perniciem). Effectus illius restrictionis, teste lugubri nostri saeculi experientia, sunt :

1) *In ordine materiali* : frequentes familiarum divisiones et dispersiones; mox inter ipsos cognatos alienatio et quasi ignotorum seu peregrinorum separatio; rerum omnium instabilitas et perpetuae mutationes; ruinae familiarum.

2) *In ordine morali* : mox, ne pereant dissipatae familiae, parentes numerosas proles educare nolunt, et vel impeditur generatio impuritate contra naturam, vel abortu perimitur germen conceptum, vel infanticidio tollitur secreto infans natus; — hinc cordis durities, mentis excaecatio, relate ad religionem indifferentismus, mox odium; — simul etiam apud liberos perit reverentia et pietas.

3) *In ordine sociali* : amissa religione, familiarum cohaesione et stabilitate sublata, prolium multiplicatione impedita, simul amittitur et amor patriae, et populi multitudo sufficiens; mox invaduntur omnia ab indignioribus, vel imo ab alienigenis immigrantibus; et solvitur tandem ipsum societatis vinculum.

Coroll. Ergo impedire libertatem testamenti per impositam aequalem bonorum distributionem prorsus injustum et perniciosum est; per impositum vero jus primogeniturae universaliter, minus quidem perniciosum, adhuc tamen vere perniciosum et injustum esset, propter similes fere rationes, non quidem omnes sed aliquas.

§ 3. DE LIBERTATE CONSCIENTIAE ET CULTUUM.

Propositio 172.

Libertas conscientiae includens potestatem externe non agendi contra dictamen conscientiae, tanquam jus naturale admittenda est, quoties conscientia recta est.

Notiones. 1) *Libertas* generatim dicit carentiam *coactionis* (quae ab extra determinet ad unum), — et *impedimenti* (quae ab extra retrahat ab uno), — et *necessitatis* (quae ab intra determinet ad unum) : cfr. psychol.

2) *Conscientia* spectatur *in seipsa*, et est facultas judicandi de moralitate actuum propriorum, i. e. ferendi dictamen suum; — vel *in effectibus*, et praeterita approbat, excusat, vel damnat (pax aut remorsus), vel futura ordinat.

3) Conjunctim igitur *libertas conscientiae* est libertas :

conscientiae in seipsa spectatae, excludens omnem dependentiam :

- { ab alio homine.
- { a lege divina positiva.
- { a lege quacumque, etiam naturali.

conscientiae in suis effectibus spectatae, includens potestatem :

- { interne sequendi dictamen conscientiae.
- { externe nihil contra dictamen conscientiae agendi.
- { externe secundum dictamen conscientiae agendi.

Stat. quaest. 1) Libertas conscientiae *in seipsa spectatae*, excludens omnem dependentiam ab alio homine, non quidem est jus dicendum, quum sit factum physicum internum indubitabile, circa quod alii homines nec potestatem physicam (qua servant vel violent) nec proinde officia habere possint.

2) Libertas conscientiae *in seipsa spectatae*, excludens omnem dependentiam a lege quacumque, sive naturali, sive divina positiva, nequit ullo modo tanquam jus morale agnosci; quum existat vera lex naturalis, omnibus imposita (cfr. prop. 32, 33), cujus officia praecipua sunt erga Deum (cfr. prop. 69, 70, 72), etiam quoad legem positivam, si quam Deus revelaverit (cfr. prop. 71).

3) Libertas conscientiae *in suis effectibus spectatae*, includens potentiam interne agendi secundum dictamen conscientiae, est factum physicum innegabile, nec proinde jus dici debet relate ad alios homines; quoad ipsum vero subjectum, ea est dicenda jus, vel imo officium, sed debet conscientia recte ordinari (cfr. prop. 47-51).

4) De his igitur omnibus jam nulla manet amplius quaestio; sed solum *de effectibus externis*, qui ab externa auctoritate attingi possunt, quaeritur in hac et sequenti propositionibus (quid sit conscientia recta, erronea, etc... cfr. prop. 47 sqq.).

Prob. Contra conscientiam rectam nunquam operari licet; et hoc est legis naturalis praeceptum negativum, a quo proinde nihil omnino dispensare potest; *a.* ad id quod absolute nunquam licet, nemo potest legitime cogi; *e.* nulla auctoritas habet jus eum cogendi, sed ipse habet jus naturale non agendi contra conscientiam.

Ad maj. Cfr. prop. 48, 61.

Schol. *Quid si conscientia non recta est?* — R. Si erronea est, vel aliis nociva, bonae tamen fidei, non vi externa, sed rationibus et lumine corrigenda; — si malae fidei, vel si mendacio ficta, nullum habet jus, potestque vi premi.

Propositio 173.

Libertas conscientiae, includens potestatem externe agendi secundum dictamen conscientiae, admitti debet quoad vitam privatam et quoad vitam publicam, tanquam jus naturale, quoties conscientia recta est.

Notiones. *Vita privata*, i. e. complexus actionum, etiam externarum, etiamsi coram aliis publice fiunt, sed quarum terminus alii homines non sunt; — *vita publica*, i. e. complexus earum actionum quae alios homines ut terminos habent, quae proinde fiunt ab homine ut societatis humanae membro, sive is agat tanquam publicae auctoritatis minister, sive proprio nomine. — Saepe ea omnia quae proprio nomine, etiam erga alios fiunt, tribuuntur vitae privatae; saepe vicissim quaecumque coram aliis aperte fiunt, vitae publicae adscribuntur. — Res conventionis satis videtur esse. — Nos hic certe omnia illa in propositione includimus.

Prob. Ab ipsa natura singulis data est conscientia, tanquam medium proximum universale, quo omnes actionum normae in particularibus omnibus actionibus applicentur; *a.* ab hujus medii usu practico et efficaci nullus homo potest ab ulla auctoritate privari; *e.* libertas ista conscientiae est jus morale, et quidem naturale, i. e. fundatum in natura.

Schol. Fieri quidem potest ut id quod aliquis duce conscientia esset factururus, sit propter bonum majus et commune omittendum; sed N. B. 1) Nunquam forsan, si recta est conscientia, bono communi vere necessaria erit omissio actionis; 2) si quando necessaria erit, jam non recta sed erronea erit conscientia; debet enim juri fortiori cedere jus inferius in collisione.

Objic. Jus naturale deponi non potest; *a.* jus se regendi secundum propriam conscientiam potest deponi (v. c. religiosi totos se praelatis regendos tradunt); *e.* — R. *d. maj.* deponi, i. e. totaliter abdicari, non potest, *c.*; aliter et melius determinari per novas leges positivas, *n.* — *c. d. min.* — *ad instant* : *d.* abdicant, *n.*; melius determinatas et concrete exponendas leges sibi assumunt, secundum quas sibi facilius et securius conscientiam forment, *c.*

Propositio 174.

Ad perfectionem propriam societatis civilis requiritur unitas verae religionis.

Stat. quaest. 1) Incipit de libertate religionum seu cultuum tractari. — *Religio* dicitur complexus veritatum dogmaticarum et rituum practicorum circa Deum et homines. *Ritus* illi externi, prout religionem externe produnt, dicuntur *cultus*.

2) Non dicimus unitatem ita necessario requiri, ut sine illa omnino non possit societas existere, sed ita ut ad perfectionem, pacem, efficacem boni communis procuracionem, diuturnam et stabilem, necessaria sit.

Prob. Ad perfectionem societatis civilis requiritur : 1) perfectio sufficiens

intellectuum et voluntatum civium, 2) perfecta voluntatum cooperatio, 3) perfecta stabilitas unionis inter cives; — *a.* haec sine unitate verae religionis diu haberi non possunt; *e.*

Prob. maj. Ad perfectionem societatis requiritur perfecta omnium conspiratio ad bonum commune; *a.* ad hanc requiritur ut omnes ea cognoscant et velint quae sibi et toti societati sunt maxime necessaria ad bene operandum, idque communi et stabili unione prosequantur; *e.*

Prob. min. 1 part. (perfectio intellectuum et voluntatum). Sola religio vera potest vera principia moralitatis, jurium, obligationum docere; *a.* haec maxime necessaria sunt ad sufficientem intellectuum et voluntatum formationem; *e.*

Prob. min. 2 part. (voluntatum cooperatio). Ubi non est verae religionis unitas, ibi non est intellectuum unitas circa praecipuas obligationes et jura humana; *a.* voluntas in operando sequitur intellectum; *e.*

Prob. min. 3 part. (stabilitas unionis). Ubi non est veritatis unitas a) singulae religiones semper desiderio urgentur ut in dies magis crescant, ac proin in dies magis tendunt ad mutuam separationem, — b) aliarum religionum sectatores alios offendunt magis in dies, irridentes quod aliis sacrum est, etc. — c) etiamsi esset unitas sed in falsa religione, ea ipsa aut mox, propter fundamentorum infirmitatem rationi patentem, in varietatem abibit, aut sola vi et coactione retinebitur exterius aliquamdiu, in mentibus tamen scepticismum et despectum pariet; — *a.* in his omnibus est germen dissolutionis, stabilitatis nullum vinculum; *e.*

Objic. 1° Ad perfectionem societatis sufficit ut leges serventur; *a.* hoc fieri potest etiam in societate sine verae religionis unitate; *e.* — R. *d. maj.* ut serventur utcumque, *n.*; constanter et libenter, *c.*; — *c. d. min.*

Objic. 2° Sufficit ut omnes conspirent ad ordinem civilem servandum; *a.* hoc fieri potest sine...; *e.* — R. *d. maj.* dummodo omnibus idem videatur rectus ordo esse, *c.*; secus, *n.*; — *ad min* : supponendo indifferentismum generalem quoad religionem, et mox labendo in indifferentismum quoad omnes obligationes, ita ut jam non nisi vis physica, vel utilitas praesens homines ducat, *d.* haec erit ordinata et stabilis conspiratio omnium, *n.*; erit dura servitus, et mox solutio omnis vitae socialis, *c.*

Objic. 3° Potest idem obtineri per unitatem falsae religionis. — R. *d.* possunt aliqua elementa, aliquamdiu, obtineri (consensus voluntatum), *c.*; omnia et stabiliter, *n.*

Propositio 175.

Auctoritas civilis non habet per se jus imponendi sociis religionem communem, vel determinandi cultum omnibus servandum.

Notiones. 1) *Per se*, i. e. natura sua, vi sui naturalis muneris societatem regendi. — *Per accidens* fieri posset, si v. c. expressa missione Dei revelantis

constitueretur auctoritas non solum civilis sed etiam theocratica, sicut in Moyse.

Stat. quaest. 1) Si Deus nullam revelavisset religionem, una vera esset religio naturalis quoad veritates dogmaticas, sed cultus seu complexus rituum ad Deum colendum, nullus prae aliis esset verus et solus legitimus. Esset proinde jus naturale singulorum hominum sibi rationalem aliquem cultum eligendi; neque ullum esset jus auctoritatis, civilis unum aliquem determinandi.

2) Postquam Deus religionem positive revelavit, haec sola vera est et omnibus obligatoria quoad veritates dogmaticas, et sola quoad cultum est eadem vera et omnibus obligatoria ad quos revelatio dirigitur (scilicet nunc catholicismus omnibus hominibus); et singulis in conscientia nulla manet libertas religionis et cultus; at etiam sic *non auctoritatis civilis* est determinare et imponere eam religionem, *sed Ecclesiae* ad hoc a Deo institutae; auctoritas civilis erga eam nullum jus sed solum stricta officia habet, nempe eam defendendi et promovendi. Hoc assumimus defendendum.

3) Jus aliquam religionem nationalem imponendi omnibus, ceteris exclusis, competere civili auctoritati, vix ullus aperte amplius hodie docet; practice tamen exercere conantur, et principiis supremae politicae supra omnes alias societates, stabilire non ita pauci tentant hodierni legumlatores.

Prob. 1° Totum jus civilis auctoritatis summae, ex fine ejusdem derivatum, in his continetur: 1) ut societatem ejusque membra contra hostes externos vel internos tueatur, — 2) ut impediatur quominus alicujus organi exercitium aliis necessariis organo noceat, — 3) ut organa particularia ad eorum fines prosequendos efficaciter stimulet, — 4) ut particulares fines coordinet ac universali fini apte subordinet; — *a.* in his omnibus non importatur jus religionem et cultum aliquem determinandi et imponendi; *e.*

Prob. 2° Tale jus auctoritas civilis exercere non posset, nisi violando singulorum jus naturale externe nihil agendi contra conscientiam; *e.*

Prob. 3° Religionem (i. e. fidem in determinatas aliquas dogmaticas doctrinas), et cultum (i. e. externam manifestationem ejusdem fidei) imponere non potest auctoritativa nisi aliqua infallibilis auctoritas; *a.* talis non est auctoritas civilis; *e.*

Objic. 1° Unitas religionis est necessaria societati civili; *a.* omnia illi necessaria procurare debet auctoritas; *e.* — *R. d. maj.* omnino et essentialiter necessaria ad existentiam societatis, *n;* ad perfectionem, *sd.* completam, *c;* omnimodam inadaequatam etiam, quae saltem aliquamdiu sufficere possit, *n.* — *c. d. min.* essentialia et omnino necessaria, *c;* completam perfectionem, *sd.* quantum aliunde licite fieri potest, *c;* sua jura excedendo, jura civium laedendo, *n.*

Objic. 2° Saltem religio vera est statui utilis, et ab omnibus admittenda. *R. ad 1 part: c;* — *ad 2 part: d.* quia vera et a Deo, mediante Ecclesia, imposita, *c;* quia statui utilis, et ab eo imposita, *n.*

Propositio 176.

Si societas semel actu sociali veram religionem amplexa est, auctoritas summa habet jus et officium impediendi et puniendi omnem actum externum contra eam.

Stat. quaest. 1) Ex praecedentibus, quum ad perfectionem propriam societatis pertineat unitas verae religionis, ipsa societas sibi debet (officio stricto erga seipsam), ut eam habere et retinere velit, eamque tanquam fundamentum ordinis in lege sua fundamentali constituat. Id vocamus *actu sociali* veram religionem amplecti, differtque ab *actu privato* quo eam unusquisque civis, vel unaquaeque familia pro se profiteatur.

2) At si eam *actu sociali* non sit amplexa societas, auctoritas summa non potest, etiamsi eam pro se profiteatur, alios cogere ad eandem colendam, *cfr. prop. 175.*

3) Si vero eam actu sociali societas est amplexa, auctoritatis summae erunt ad eam certa officia, ac proinde jura necessaria ut iis officiis fungatur. Haec quaenam sint nunc quaeritur. Et respondemus circa actus externos, nam de internis non est auctoritati possibile nec legitimum curare; unde effatum: «de intimis non judicat praetor sed Deus.»

Prob. Auctoritatis civilis est 1) jura membrorum defendere, 2) ordinem socialem tueri, 3) ipsam societatis constitutionem et perfectionem protegere et promovere; — *a.* haec requirunt ut impediatur et reprimatur omnis actus externus contra unam veram religionem a societate admissam; *e.*

Prob. min. 1 part. (jura membrorum). Primum civium jus est ut libere et pacifice, sine dissensione aut offendiculo, suam religionem exercere possint (*cfr. prop. 69*); *e.*

Prob. 2 part. (ordo socialis). Is exigit ut lex fundamentalis integra serveter, ac proinde ut actus contra religionem habeatur ut crimen sociale; *e.*

Prob. 3 part. (constitutio et perfectio societatis). Ipsa societatis constitutio requirit stabilitatem et pacem, ac proinde media ad eam perfectius obtinendam; *a.* istorum mediorum praecipuum est verae religionis unitas et liber cultus; *e.*

Objic. 1° Eadem argumenta valerent ubi societas actu sociali falsam religionem amplexa esset. — *R. n. par.* (ubi veram religionem admiserunt, rectam conscientiam habent, quae jure naturali sequenda est; ubi falsam religionem admisit societas, nemo rectam conscientiam habet, neque ea est sequenda et protegenda, sed corrigenda; si quis igitur eam corrigat, falsitatemque deserat, conscientia officio naturali sequenda illi est, ac proin jus habet naturale ne ab aliis ullis, etiam ab auctoritate, impediatur).

Inst. Contractus servandus est; *a.* ille actus socialis falsam religionem amplectens, contractus fuit; *e.* — *R. d. maj.* contractus bonus, circa rem bonam, *c;* secus, *n.* — *c. d. min.* fuit contractus malus quia de re mala, *c;* secus, *n.*

Inst. Singulae sectae se veras dicunt; *e.* omnes essent pariter admittendae. — *R. tr. ant.* — *d. cons.* si quis nullam de propria secta habet evidentiam (qualis extra veritatem nulla est), *n*; si haberet, *sd.* etiam istae quae pacem publicam turbarent, essent admittendae, *n*; aliae, *tr. sed n. supp.*

Objic. 2° Semper est singulis relinquenda libertas. — *R. d. generatim, c*; etiam in materia contractus boni et liciti, *n.*

Objic. 3° Fieri potest ut societas falsam religionem amplexa, veram se tenere credat; *a.* haec saltem omnes alias, etiam veram impedire potest; *e.* — *R. d. maj.* ut credat infallibili auctoritate, et evidentibus motivis, *n*; secus, *tr*; — *d. min.* jus habebit, *n*; habere se aestimabit, *sd.* aliquamdiu, *tr*; semper et invincibiliter, *n.*

Objic. 4° Ex hac propositione sequeretur veram religionem minori parti civium imponi posse; *a.* hoc falsum est; *e.* — *R. d. maj.* ita imponi ut contra eam nihil moliantur, nihil publice agant, privatim tamen suam tenere possint, *c*; aliter, *n.* — *c. d. min.*

Coroll. Ergo in tali societate, veram religionem actu sociali amplexa, absurda est libertas conscientiae et cultuum eo sensu quod quamlibet religionem propagare, et exercere externe singuli possint, idque debeat auctoritas aequali omnium protectione permittere.

Propositio 177.

Fieri potest ut ad vitanda majora mala, possit societas nullam religionem actu sociali amplecti, et plures vel omnes quae non manifeste sanis moribus adversentur, tolerare velle; at certe non potest veram religionem ejusque cultum proscribere vel posthabere.

Prob. 1^a pars (tolerare). Fieri potest ut civium, qui unam societatem efficiunt, magna aliqua pars falsae religioni adhaereant, sintque parati potius bella civilia et magnas clades inferre, quam eam non publico cultu celebrare et praedicare; — vel fieri potest ut inter cives multae sint religionum divisiones, nulla satis magna pars unita sit quae possit moraliter dici totam nationem efficere; — *a.* tunc ne tota pereat societas sine ulla spe restorationis, neve aliqua falsa religio ita sola vincat ut etiam veram proseribat, poterit necesse, ac proin legitimum esse, ut omnes vel plures pariter cum vera tolerentur; *e.*

Prob. 2^a pars (dummodo non manifeste... adversentur). Illas religiones tolerare non licet quae necessario ac immediate tenderent ad malum publicum et societatis ruinam; *a.* religiones quae manifeste bonis moribus adversarentur, tales essent, *e.*

Ad maj. Illae non ad vitanda mala majora sunt tolerandae, quum ipsae sint summum societatis malum; — nec proprio jure sunt tolerandae, quum natura sua perniciosae sint, nec possint jure naturali se societati obtrudere.

Prob. min. Manifeste moribus sanis adversari dicendae essent illae religio-

nes, quae vel dogmata vel cultum practicum docerent, primis illis principiis religionis naturalis contraria, quae nemini ignota esse possunt, vel bona fide negata; — *a.* talia dogmata et praxes, natura sua et immediate tendunt ad solvenda prima et essentialia officia et jura humana, ad destruendas vel negandas relationes omnes inter homines necessarias ad moralitatem, ac proinde ad ipsam societatem solvendam; *e.*

Prob. 3^a pars (non licet veram... posthabere). Prima omnium humanorum officia sunt officia verae religionis erga Deum, et ab illis nulla auctoritate potest legitime homo averti vel impedi; — *a.* talia officia proscribere vel etiam aliis posthabere, 1) est tantum malum ut nullo alio inferius sit, nec propter ullum aliud vitandum possit confici, — 2) tam intrinsece malum est contra legem naturalem negativam, ut nullo unquam praetextu rationis, vel difficultatis, vel periculi, possit committi; *e.*

Coroll. 1^m Ergo sicut religiones manifeste moribus adversantes, et multo magis, atheismus publicus nunquam permitti vel tolerari potest; nam 1) subruit omne fundamentum essenziale omnis moralitatis et omnium officiorum ac jurium, et ordinis cujusvis in societate, — 2) non potest comparari sectis et religionibus aliis, quum nullam habeat doctrinam sed meras negationes, — 3) non potest supponi bona fides in errore (cfr. theol. natur. prop. 18).

Coroll. 2^m Ergo sicut societas se constituens potest ad majora mala vitanda, velle varias religiones tolerare; ita etiam in societate jam constituta et veram religionem amplexa, potest auctoritas propter easdem causas obortas, tolerare religiones legi fundamentali contrarias. — Imo melius erit eas practice tolerare donec leges iterum servari possint, quam ipsarum legum mutationem procurare.

Objic. Ad judicandum quid sit contra bonos mores requireretur auctoritas infallibilis... — *R. d.* si res non est evidens, *c*; si evidens et omnibus patens, *n.*

§ 4. DE LIBERTATE PRELI.

Propositio 178.

Falsum est, ex libertate cogitandi sequi libertatem preli tamquam jus naturale.

Notiones. 1) Hanc libertatem definiunt anarchistae: potestatem scriptis vulgandi quodlibet, sine ulla limitatione; sed de hac non agimus nunc, quia a) implicite refutatur in dicendis tanquam extremum, cui a fortiori applicanda sint omnia illa, b) nimis evidenter ex ipsis notionibus officiorum humanorum, ordinis in societate, etc, refutatur.

2) Aliter obvio sensu definiretur: potestas scriptis vulgandi quidquid nemini nocet; neque de hac nos agimus, quia evidenter verum jus naturale illud est.

3) Sed sensu moderno definitur: potestas vulgandi scriptis quodlibet spe-